

CAP. XXXI.

Adamiani cur sic nominati. Erroris autem tria
capita commemorantur.

Adamiani ex Adam^o dicti, cuius imitan-
tur² in paradiso nuditatem, quae fuit ante
peccatum. Unde & nuptias auersantur,
quia nec prius quam peccasset Adam, nec
prius quam dimissus esset de paradiso cognouit uxorem.
Credunt ergo quod nuptiae futurae non fuissent, si nemo
peccasset. Nudi itaque mares foeminaeque conueniunt,
nudi lectiones audiunt, nudi orant, nudi celebrant Sa-
cramenta. Et ex hoc paradysum suam arbitrantur Ec-
clesiam.

I Adamiani.) Non videtur in hac haeresi col-
locanda diligenter ab Augustino. obseruata ratio
temporis, sed nec ab Epiphanio, quem Augustin.
sequi gaudet. Quare potius Isidorum sequor, qui
hos cum Cainianis & Sethianis coniungit. Eodem
enim penè tempore videntur hi omnes exorti, &
ex stirpe Carpocratianorum vel semine sunt infe-
licissimus proventus & seges. Vnde post Gnosti-
cos erant reponendi. Nam Gnostici & Adamiani
sunt ex eodem Valentinianorum turbido fonte di-
uortia duo, & riuus diuersi. Dicuntur autem iidem
hi Prodiciani, quod à prodico profecti sint, quem
admodum Theodoretus libro 1. Haeret. fabul. tra-
dit. Dicuntur ab aliis Adamite non Adamiani,
quanquam alii separant, quasi Adamite non sint
heretici, sed monachorum genus inter veteres
Christianos receptum: Adamiani verò sint he-
retici, quos vetus Ecclesia damnauit. Adamiani
verò dicti sunt ab Adamo primo illo homine, cu-